



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

142. An quis legendo inscriptionem, seu Titulum libri alicuius Hæretici
incidat in censuram Bullæ Cœnæ? Et quid, si legat indicem, præludia,
operis intentionem, epistolam ad Lectorem, & his similia, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

municato offerre, dummodo id actu mentali faciat, non nominando illum exterius, & ita docet Hurtado *diff. 3. de excomm. difficult. 6. num. 15.* Gordonus *in summa tom. 2. lib. 7. quest. 8. cap. 1. §. 5. mon. 19.* & Cornejo *ubi supra*, licet quoad hoc ultimum, nempe posse Sacerdotem orare pro excommunicatis in orationibus publicis Missa non nominando illos, Turrianus *lib. 2. diff. 9. dub. 2.* dissentiat, cum oratio illa fiat nomine totius Ecclesie, unde si de illa formaliter loquamur, putat non esse verum quod dicit Gordonus & Cornejo, quod si loquuntur de intentione privata concomitante, verum asserant. Sed quicquid sit de hoc, recte ex supradictis Filiucius *tom. 1. tract. 12. cap. 2. num. 51.* infert: Primum licere Sacerdoti ut est privata persona orare pro excommunicato, vel in *Memento*, vel in aliis partibus Missa occulte & secrete, etiam si excommunicatus esset denunciatus, quia etiam si Missa sit publicum suffragium, & Sacerdos exerceat publicum ministerium, tamen non definit esse privata persona, & potest simul etiam privatim orare, non tamen offerre Missam pro excommunicato, nec nominare illum in Canone, aut alia oratione publica.

4. Infertur secundo licere Sacerdoti, dum publice orat in persona Ecclesie, simul etiam intentione privata orare pro excommunicato, & facere pro eo eandem petitionem, dummodo exterius illum non nominet.

5. Infertur tertio licere Sacerdoti totum pium opus dicendi Missam, vel Officium divinum, quatenus est proprium, per quod habet suum meritum, & satisfactionem, vel impetrationem ex opere operantis offerre pro excommunicato privata intentione. Ratio est, quia hoc modo illud opus aliis publicum fit privatim, & de hoc nulla facta est prohibitio, quod non possit offerri pro excommunicato.

6. Nota, hic etiam Hurtado docet *diff. 3. de excomm. difficult. 6. num. 16.* celebrantem posse pro excommunicatis etiam non toleratis offerre actionem ipsam celebrandi quoad valorem privatim ipsi celebranti correspondentem, quia verè est privatus & particularis.

RESOL. CXLI.

An declaratus per cedulones incurrisse in aliquam excommunicationem, si intra terminum appellavit, possit liberè cum omnibus communicare?

Idem est de recusatione iudicis excommunicantis.

Et notatur appellacionem legitimam, id est, ex rationabili causa factam antequam iudex ferat excommunicationem ipso facto ob peccatum factum impedire excommunicationis majoris incursum. Ex part. 3. tract. 9. Resol. 30.

Hic casus potest facile occurrere, & responsio est affirmativa, quam tuetur novissime Marcellus Vulpes in praxi judiciali fori Ecclesiastici, cap. 1. n. 5. & ante illum Genuensis in praxi Archiep. cap. 22. n. 1. omnino videndus: quibus adde Cenedum in Can. 99. q. 45. n. 45. Humada in leg. 21. tit. 9. p. 1. glof. 1. n. 10. & glof. 5. n. 2. Ioannem Valerium in differ. utr. fori, verb. excomm. differ. 16. n. 2. Megalium in 3. p. lib. 3. q. 1. cap. 2. n. 7. Bonacinam de cens. disp. 1. q. 2. punct. 2. n. 8. Gordonum in sum. 10. 2. lib. 7. q. 3. c. 5. n. 31. Barriolam in Aphor. lit. E. verb. excomm. §. 8. Hugolinum de cens. tab. 1. c. 21. n. 10. & ex Theologis Avila de censuris p. 2. c. 5. disp. 5. dub. 11. concl. 2. ubi sic asserit: Appellatio suspendit declarationem excommunicationis, v. g. Iudex declarat me incurrisse excommunicationem latam ab homine, vel à jure; ego appello à declaratione, alle-

Tom. V.

gans quod non feci id, propter quod erat imposita excommunicatio, vel quod factum est dubium, talis appellatio suspendit declarationem; sic glossa recepta, c. punientes, §. quod si per viginti, verb. privatus, de elect. in 6. Angel. verb. appellatio §. 8. Navarr. §. consil. de sent. excomm. consil. 12. & consil. 20. n. 5. Vnde talis denunciatus non est vitandus post appellationem. Sic Navarr. consil. 12. addit Navarr. consil. 20. quod licet à facto vero notorio non possit appellari, tamen à sententia iudicis declarantis factum esse notorium, potest appellari, quia iudex posset hoc injuste declarasse. Hæc Avila loco cit. & eadem Hurtado de excomm. disp. 13. diff. 4. ait: Appellatio à sententia declaratoria excommunicationis non solum devolvit causam ad Superiorem, sed etiam suspendit eam sententiam, quia sententia declaratoria non secum trahit executionem. Id autem quod dictum est de appellatione, dicendum etiam est de recusatione iudicis excommunicantis, quia eadem est ratio.

2. Notandum est etiam à fortiori appellationem legitimam (id est, ex rationabili causa) factam antequam iudex absolute ferat excommunicationem ipso facto ob peccatum factum, impedire incursum excommunicationis majoris (nisi quando iudici concessum est, ut non obstante appellatione procedat in causa) ut constat ex cap. pastoralis, 53. de appell. in 6. quia, ut dicitur in hoc cap. per appellationem à puncto appellationis eximitur quis quoad eum articulum à potestate iudicis, & ejus potestas dormitat, & ut dicitur in cap. si à iudice 10. eod. tit. ejus jurisdictio suspenditur, ergo ratio excommunicationis post appellationem facta est nulla, vtpote facta à non iudice, seu à iudice suspenso, & dormitante.

RESOL. CXLI.

An quis legendi inscriptionem, seu titulum libri alicujus heretici incidat in censuram Bullæ Cæne?

Et quid, si legit Indicem, Præfata, Operis intentionem, Epistolam ad Lectorem, & his similia?

Et an, in hoc detur parvas materia?

Et quid est dicendum de legentibus, unam epistolam hominis heretici, heresin continentem?

Et notatur non ligari hac censura legentem, retinentem, aut imprimentem epistolam, aut concionem, aut aliam papyrum heretici solutam, & non in tractatus, aut formam libri continuam?

Et an si heresis una, vel altera, qua continebatur in libro, penitus inveniat abrasa, aut ea folia detracta, dicendum sit ex ejus lectione non contrahi excommunicationem?

Et an ex pluribus ejusdem operis voluminibus possit legi, in quo heresis non reperitur?

Et an, si liber unius voluminis in duo redigatur, alter illorum, in quo heresis non sit, legi possit? Ex part. 10. tract. 12. & Misc. 2. Ref. 48. alias 47.

§. 1. Affirmativam sententiam docet Dominicus

Pueronius in Comment. ad Bull. Cæne, cap. 1.

§. Ac eorundem libros, numero 184. ubi sic ait: Itaque

ratione periculi, immo & odij, quod adversus Hæreticos hac inhibitione intenditur, convenit inter omnes, nec in ea parte ubi scitur hæresim non esse,

nec de Religione tractari, posse legi. Quia qui librum prohibet, singulas etiam partes prohibere censetur, argum. cap. in tit. de Regul. iur. in 6. l. Iuliams, ff. de leg. 3. Potiori jure nec fas erit legere Indicem,

Præfata, Operis intentionem, Epistolam ad Lectorem, & his similia; quia in his summatis Auctores, ea de quibus fufius agunt, proponunt, ac insinuant.

Quibus adderem & Titulum; tum quia in eo forma totius operis inspicitur, tum quia inibi solet opus

H cele

celebrari, & periculum est curiositatis concipiendae. Ita ille.

2. Sed hæc opinio mihi non placet, nam, vt ob-
servat Fagundez in *Præcept. Decalog. tom. 1. lib. 1. c. 14. num. 4.* & Becanus in *2. part. Summa, cap. 15. quæst. 1. num. 8.* Excommunicatio Bullæ non fertur ratione periculi uniuscuiusque particularis, sed communis: Vnde nimis rigore loquutus est Pueronius *ubi supra* circa parvitatem materiæ, in legendis libris Hæreticorum, Hinc, vt alibi diximus magis placet sententia Sanchez, Emanuelis Rodriguez, Vivaldi & Sa asserentium esse unam paginam, quod bene explicat Sanchez etiam quando liber fuerit ex voluminibus magnis, quæ vulgò vocantur, de Marca mayor. Ratio est, quia minor quantitas videtur insufficiens (quidquid dicat Suarez de *Fide, disp. 20. sect. 2. numero 20.*) ad peccatum mortale, tam gravem censuram incurrendam. Et quamvis legat, non videtur legere librum hæretici, vt loquitur Bulla Cœnæ.

3. Nota hic etiam obiter, Vgolinum docere excommunicatione Bullæ Cœnæ ligari etiam illum, qui legit unam epistolam hominis hæretici hæresim continentem. Ratio illius est, quia licet Bulla solius libri meminerit eo quod sapius libri, quam epistolæ ad manus veniant, & quod in libris, quam in epistolis frequentius hæreses inferantur; ubi tamen Legislator mentionem unius rei facit ob frequentiore ejus usum, non censetur excludere id, quod minus frequenter contingit, *argum. lib. 1. Cod. de raptu virg.* Sed ex Fagundez *ubi supra, num. 11.* asserit, non ligari hæc Censura legentem, retinentem, aut imprimentem epistolam, concionem, aut aliam papyrum hæretici solutam, & non in tractatus, aut formam libri concinnatam, eo quod pœnæ non sint ampliandæ & in communi hominum usu & loquendi modo hæc non dicuntur libri. Nec militat eadem ratio in his quam in libris; libri enim diutius permanent & latius extenduntur: in pœnalibus autem ita intelligenda res est, vt salventur verba pœnæ; & non extendatur amplius.

4. Sed vt verum fatear, ego sententiæ contrariæ adhæreo, quam præter Vgolinum tenet Trullench in *Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 9. §. 5. n. 6.* & Castus Palaut, *tom. 1. tract. 4. disp. 2. punct. 10. §. 1. n. 4.* Et ratio est, quia prohibitio librorum non est lex odiosa sed favorabilis, quia est in favorem Fidei, & defensionem Catholicorum.

5. Non tamen deseram hic pro curiosis adnotare Pueronum *ubi supra num. 180.* docere, quod si hæresis una, vel altera, quæ continebatur in libro, penitus inveniatur abrafa; aut ea folia detracta, dicendum est ex ejus lectione non contrahi excommunicationem; quia tunc liber revera non continet hæresim, nec adest rependi periculum. Vnde subdit, quod inconsequenter videntur loquuti; qui ex pluribus ejusdem operis voluminibus alterum in quo hæresis non reperitur, legi posse concedunt cum communi ex Vgolino, Sanchez, Bonacina, & Duardus *locis cit.* nec tamen, si liber unius voluminis in duo redigatur alterum illorum, in quo non sit hæresis, legi posse. Nam aut attenditur periculum hæresis; & æquè benè effugitur in utroque casu, aut odium hæreticorum, eorumque doctrinæ, & in neutro declinatur. Sed hæc omnia, præter DD. citatos, non admittunt Suarez, Alterius & alij.

RESOL. CLXIII.

An ad evitandum excommunicatum sufficiat tantum, vt sit per publicam sententiam damnatus de aliquo crimine,

ne, cui certum est esse annexam excommunicationem, vt v. g. de hæreticis, schismaticis, apostatis, simoniacis, &c. vel necessarium sit, vt specialiter, & expresse denunciata sit excommunicatio? Ex part. tract. 9. Refol. 62.

§. 1. Hoc sufficere putat Sotus in *4. dist. 1. qu. 5. art. 6. & dist. 22. q. 1. art. 4.* Henriquez, lib. 13. cap. 5. n. 4. Suarez de *cons. disp. 9. sect. 2. n. 10.* & Gutierrez in *can. lib. 1. cap. 1. num. 42.* ubi sic ait: Obstant enim quod nomine excommunicatorum nominantur sint hæresis, apostasia, & schismaticis condemnati, atque etiam simoniaci, & omnes, qui per sententiam fuerint pronunciati, & condemnati alicujus criminis, quia annexa sit excommunicatio, & præterea quicumque nomine proprio propter aliquod delictum fuerit denunciatus.

2. Sed licet hæc sententia sit probabilis, probabilior mihi videtur contraria. Dico igitur non sufficere vt lata sit sententia qua aliquis sit damnatus, at denunciatus de aliquo crimine, cui annexa est excommunicatio, vt evitari debeat, sed ulterius requiritur vt expresse sit denunciatus excommunicatus. Ratio est, quia in *d. Extravag. ad evitanda*, dicitur neminem teneri evitare excommunicatum, nisi censura fuerit denunciata contra personam specialiter & expresse: at verò quoties quis denunciatur de solo crimine, cui constat excommunicationem annexam, non est denunciata censura specialiter, & expresse, sed solum virtute, & per quamdam consequentiam. Accedit quod cum decretum d. Extravag. in favorem animarum emanaverit, potius est extendendum vt requiratur expressa ac formalis censuræ declaratio, quam restringenda, vt sufficiat tacita ac virtualis. Idem dicendum quamvis in sententia declaratur illum esse hæreticum, vel alterius criminis reum, & incurre illius omnes illius pœnas ac censuras, quia adhuc non est specialiter & expresse denunciata excommunicatio. Ita Coninch de *Sacram. disp. 14. dub. 2. n. 10.* Reginaldus in *praxi tom. 1. lib. 1. cap. 10. n. 118.* Sanchez in *sum. tom. 1. lib. 2. cap. 9. num. 4.* & alij penes ipsos.

RESOL. CXLIV.

An licitum sit communicare cum hæretico, in quem lata est sententia cum hæreticum declarans, vel necessarium sit, vt publicè, & nominatim, atque expresse denunciatur excommunicatus?

Et doctrina hujus questionis est applicanda omnibus delictis secum ferentibus excommunicationem. Ex part. tract. 14. & Misc. 2. Ref. 97.

§. 1. Negativè respondet Suar. *tom. 5. disp. 9. sect. 2. punct. 10. & de fide, disp. 21. sect. 3. n. 7.* Gutierrez in *99. can. lib. 1. cap. 1. n. 42.* Sotus de *justitia, lib. 9. c. 1. n. 10.* art. 8. ad 1. Henriquez *lib. 13. cap. 5. n. 4.* & alij, quia cum publicè denunciatur excommunicatus, publicè ac nominatim constat de ejus excommunicatione: ergo.

2. Sed contrariam sententiam tenet Sanch. in *sum. tom. 1. lib. 2. c. 9. n. 4.* ubi docet hæreticum in tali casu non censeri nominatim excommunicatum, nec esse vitandum, donec expresse denuncietur excommunicatus, & ratio est, quia in Concilio Constantiensis dicitur neminem teneri vitare excommunicatum, nisi censura fuerit à iudice denunciata contra personam specialiter, & expresse. At quoties quis denunciatur de solo crimine, cui constat excommunicationem annexam, non est denunciata censura specialiter, & expresse, sed sola virtute, & per quamdam consequentiam, ergo, &c. Dico.